DE

ABUSU FASCIARUM ABDOMINALIUM IN PUERPERIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS CONSENSU
ET AUCTORITATE

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XVII. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXIX.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROL. THEODOR. HERRMANN

PRETTINA - SAXO.

H. L. Q. S.

BEROLINI.

FORMIS THEOPHILI BRÜSCHCKE.

Proemium.

Reputanti mihi saepenumero, quodnam ex tanta rerum medicinalium mole ad dissertationem conscribendam depromerem argumentum, quod omni respectu aptum fuisset, nullum sese obtulit. Cum omnes omnino morbos illustratos sexcenties viderem, nec haberem quod novi illis adjicerem, cum hypothesium physiologicarum et pathologicarum acervo novam nec rite perpensam adiicere non in animo esset, cum ex chemica analysi et tentamine medicamenti cuiusdam in animalibus, non multum arti medicae utilitatis prodeat, cum ad illustrandum caput quoddam anatomiae vel pathologicae, vel comperativae, spatium mihi deesset, cum denique, arti obstetriciae potissimum deditus, usus fasciae in puerperis post partum incommoda et ab Illustriss. de Siebold saepius relata, et historia febris puerperalis, quam amicus in itinere observavit exinde oriunda, confirmata viderem, et ipse simile quid perspicerem, iam nullus dubitavi,

quin hac de materia sub dissertationis forma quaedam conscriberem. Me vero nequaquam ut alios edocerem, et arti medicae novi quid adderem, verum solummodo cum necessitas, ut honores in Medicina et Chirurgia summos consequerer, commentariolum qualecunque prelo submittendi, urgeret, haecce scripsisse adiiciendum adhuc opinor. Quae cum ita sint, vix, ac ne vix quidem necessarium est, lectores rogem, velint hancce dissertationem benevole recipere, nec severiori subiicere iudicio.

Mulierem humanam, statu quo praesenti versatur, pro corporis structura tenuiori, sensibilitate irritabiliori, potissimum vero pro partium genitalium fabrica et indole, earumque factione multiplici, ad plurimas aegritudines non solum dispositam esse, verum etiam artis medicae, inprimis autem obstetriciae intempestivis, rudibus falsissimisque omnis generis operibus multifarie illas augeri atque complicari, tristissimis edocemur exemplis, quorum numero ligatura abdominis post partum, nostris adhuc temporibus et medicis et obstetricibus usitata, utiqne adscribenda est. Cuius sub nomine nihil aliud intelligendum est, nisi abdominis, placenta remota, per fasciam segmentum lintei oblongum aemulantem, seu plerumque per mantele commune constrictio, utpote qua integumentorum et uteri ipsius contractionem promoveri, partim uterum, graviditate dislocatum, in instum situm redigi, sibi persuadent.

Quanti momenti consuetudo illa infelicissima sit in vitiis omnis generis provocandis, ex fasciarum abdominalium conditione, ex earum applicatione, ex individui constitutione ac structura, ex partium post partum comprimendarum statu, ex illis demum, quae similis thoracum usus oculis exhibet, quis est, qui

facillime non intelligat? Qua ratione abdominis per fascias coarctatio vim exserat nociveram, strophiorum quam maxime convenire videtur. Utraque via organismus modo duplici cruciatur, primum vasorum nervorumque compressione et motus sanguinis perturbatione, deinde ipsa partium dislocatione, quae plerumque non nisi de utero observatur, de qua sola disseram. Qui sanguinis motus perturbatus, potissimum conspicitur eo, quod circulatione illius per superficiem latam sufflaminata, eoque ad interiora minus comprimenda determinata, plethora abdominalis topica efficitur, quam deinde ad varii generis vitia, haemorrhagiam, inflammationem, vasorum obstructionem etc. arsam praebere observatur. Venarum deinde lumine per compressionem diminuto, eoque sanguine, quo minus ad cor expedite redeat, impedito, anteriis profundius iacentibus, quam quod graviter adfici possint, cruoris consuetam copiam adducentibus, oppletio augeatur adhuc, necesse est. Accedit etiam ad hoc, ut sanguinis et quantitate satis magna, et qualitate consuetudini isti in malis gignendis, imprimis vasorum obstructionibus foveatur. Chylus, quo sanguis mulierum extra graviditatem iam praestat, et illius et lactationis tempore quam maxime cumulatur, quo fit, ut consistentiam majorem magnamque ad obstructiones prae se ferat inclinationem. Quoad effectum mere mechanicum, cum minus vehementer agunt, parte parti appropinquata, eoque utraque irritata, graviora exinde vitia, gravissimum adeo febrem puerperalem, concitare possunt. Irritamento enim centrali actuositas peripherica interpellatur et

in contrum transfertur, quo demum fit, ut uberibus collapsis, materies lactea hic loci deponatur. Quae vero cum fortius abdomen comprimunt, quamquam nullam nisi uteri, veram dislocationem videmus, quae situ et ligamentis, quibus solis in suspenso retinetur, quam maxime juvatur, cum ceterorum organorum sede firmiori prohibeatur. — Mantelis respectu habito, notandum restat, cum ipsius conditio ventris convexitati nequaquam respondeat, illud non nisi in unum locum, et quidem maxime convexum partemque subtus latentem agere, quare et peritonaeum et uterus compressioni illius primariae potissimum subiiciuntur. Quem finem ceterum fasciarum usus spectat, abdominis ambitum diminuendi, medicamentis reiectis nec unquam attingunt. Quemadmodum in mulieribus fibrae laxioris vasorum extensiones, constringendo, usu medicamentorum neglecto, non reremovere, ita et ventrem mulierum, quae ab laxitatem ad majorem integumentorum relaxationem inclinantur, minorem hac ratione sola reddere non valemus.

Enumerationem omnium, qui fasciarum mentionem injecerunt, scriptorum, et harum quarumvis descriptionem ad opusculi perfectionem requiri, licet perbene intelligam, ea omnia tamen mihi omittenda sunt partim ex temporis defectu, partim ex illius brevitate necessaria. Cui ideae, cum satisfacerem, a fine quam maxime aberrandum esset, quoniam cum antiqui, tum recentiores, quocumque fere de arte obstetricia opere, illas commemoraverint. Wernerum quendam solummodo laudo, qui sententiam verbis claris-

simis declarat, dictitans: (Joh. Chr. Starks Archiv für Geburtshülfe etc. Hierauf liess ich ihr ein Handtuch um den Leib binden, wie ich gewöhnlich thue; denn es dient nicht allein zur Staerkung, sondern auch zur bessern Zusammenziehung der Gebaermutter. — Antequam vero ad ipsam incommodorum pervestigationem me accingam, e re puto, causas et conditionem extensionis partium dictarum brevibus enarrare, quae partim ad physiologiam, partim ad pathologiam artis obstetriciae pertinent.

Ad ordinem primum graviditas normalis, communissimum extensionis genus offerrens, tantum revocanda est, quo nomine eam organismi muliebris functionem intelligendam puto, qua germen fecundo coitu creatum, sensim sensimque conformatur, et denique ad eum perfectionis gradum perducitur, qui, ut vitam extra uterum continuet propriam, necessarius est. Ovo ad cavum uteri provecto, eique adfixo antea vero per sperma virile ad altiorem vitalitatem et productionis vim illo ipso promoto, embryo sensim sensimque per omnes conformationis gradus ad summum usque supra dictum percurrit, quo demum attacto, utero corpus peregrinum excluditur. Quo-tempore vero variam illius mutationem observamus, ne velamenta ovi aliaeque quibus circumdatur partes, simili subiiciantur, fieri non potest. Chorion, Allantois et Amnion, pro magnitudine partium, quas circumeunt, magis magisque extenduntur; liquor Amnios, quo embryo fluctuatur ac humor qui lamina utraque Allantoidis includitur, copia majori secernuntur, ita ut ille statu normali ponderi librarum dua-

rum — trium aequetur; latex vero secundo loco commemoratus, qui longe minori copia observatur, sensim sensimque pro majori renum incremento atque conformatione perfectiori, quarum vicibus Allantois fungebatur, diminuitur, quo fit, ut laminae sive maximam partem, et huc illuc modo separatae pauxillum fluidi illius, quod aqua spuria audit, contineant, sive plane plerumque coalescunt, ut Chorion, Amnion ac Allantoidis utraque lamina integram membranam aemulentur. Uterus, qui hac in periodo primas partes agit, indies magis increscit, ut sub finem demum graviditatis quoad longitudinem duodecim ad tredecim, quoad latitudinem septem ad acto, si spectes vero diametrum a posterioni pariete ad anteriorem usque, quatuor ad sex pallices Par. expleat, quali extensioni nihilominus tamen non parietes ejus solum non extenuantur, si exceperis collum ostiumque sub finem gestationis, imo etiam sat sufficienter spissescunt. Jam vero et situs uteri pro vario parenchymatis incremento, varie mutatur. Initio graviditatis profundius ad pelvim descendit, a tertio vero inde vel quarto ad nonum usque mensem supra situm consuetum longe attollitur, ut ejus fundus tangenti digito sub scrobiculo cordis, imprimis latere dextro repugnet, extremo vero denuo ad illam delabitur. Interim non uterus solum et quae continet tam varie mutata, sed toto in corpore muliebri ejusque partibus singulis similia observantur, quorum huc inprimis ea pertinent, quae in integumentis abdominalibus oculis patefiunt. Cavum abdominis statu virgineo satis est angustum et omnino organis exple-

tur; integumenta sunt adstricta et densa, ita tamen ut extensioni ventriculi et intestiorum satis respondeant, quibus mediis fossa umbilicalis, plicis cutaneis circumscripta, insidet. Simulac vero uterus indies increscens, ex spatii defectu, ex pelvi ad abdominis cavum ascendit, id quoque amplificetur, necesse est. Quod ut eveniat, integumenta pro vario uteri circuitu, varie extenuantur, eo demum gradu, ut abdomen valde turgeat, et fornicis maxime convexi formam prae se ferat. Musculi ac reliquae, quibus cavum abdominis efficitur partes molles, quae statu priori crassitie satis magna gaudebant, et digitum perscrutantem, quo minus partes subtus latentes, vesicam urinae copia magna repletam, si exceperis, luculenter distinguat, impediunt, membranam, cui umbilici ne ullum quidem vestigium superest, crassiorem maximeque distentam imitantur, ut non uterus modo, imo etiam partes infantis distincte cognosci sinant. Embryone tandem utero excluso, eoque deinde sensim sensimque ad statum normalem redeunte et tegumenta plus minusve contrahuntur, nec soliditati, qua antea pollebant, tam prope uti ille reducuntur, sed in ejus locum prima minor, repetita vero pluries graviditate, major laxitas succedit, quod rugis illis insidentibus sufficienter declaratur. Abdomen, quod cum virgo mulier floreret, formam oblongam, leniter turgentum offerebat, deinde haud raro ita prominet, ut media versari videatur graviditate, quod pro constitutione et habitu, majori minorive gradu observari solet.

Ad ordinem secundum plures pertinent. Quantitatem liquoris amnii extremis graviditatis mensibus maxime variam esse posse, supra jam cammemoravi. Qui humor tanta saepius abundantia secernitur, ut pondus librarum octo ad decem superet, quo uterus et integumenta abdominis ultra modum extenuantur, et statui quasi paralytico traduntur, quo justum ad normam reditum prohiberi, facile intelligitur. Quod vitium frequeuter adhuc eo augetur, quod illud abundanti aquae spuriae copia conjungitur, quae tamen raro usque ad partum ipsum remanet, sed saepius doloribus praesagientibus ejicitur.

Proxima illi ea vitia sunt, quibus embryo aut ab morbum, aut ob assimilationem nimiam aut ob aliam demum causam ad eum pervenit ambitum, ut normam longe excedat. Quod vario modo fieri posse, experientia docet. Observamus nimirum in neanatis quascunque hydrocephali species, ascitem, hydropem pectoris ac cellulosum, embryonem bene formatum ac manitudine modo exedentem, vitia denique primae formationis, et monstra per excessum, quorum exempla extant quam plurima.

Uterum, ob congestiones ad ipsum vehementes, et hydrope, potissimum statu praegnanti, illis auctis, adfici, nemo certe est qui dubitet. Quae collectio aquae variam sedem figit. Observatur aut in cavo uteri ipso, inter laminam ejus internam àc planum ovi velamentorum externum, aut in parenchymate uterino ipso. Primo casu aqua haud raro membranis includitur propriis, quae tamen nequaquam cum velamentis confundae sunt. —

Uterum quoque in confirmatione errare, et menstrua edere, nemo est quem fugiat. Molae quae in utero gravido obvenire solent partim plurimis vesiculis compositae uvae formam offerunt et brevissime tanta copia augentur, ut uterus quarto, sexto mense eandem quam decimo, expansionem exhibeat, partim fibris muscularibus effectae, similia, modo tardius inducunt. Graviditates, quibus simul cum embryone molam uterus continet, rarius ultra sextum, teste vero Meckelio ad decimum quoque producuntur. Tale vero formationis vitium non solum embryonis comes, sed etiam illo plane deficiente, in utero invenitur. Vis enim uteri plastica primis post coitum diebus jam aberrat, et loco ovi hujusque contenti bene efformati, massam inorganicam, carnosam, vesiculosam, pilis, tendinibus, ossibus, terra calcarea commixtam, gignit. Uteri, abdominis expansio, et illius ejectio, supra laudatis omnino consentiunt.

Extensionis causarum capite denique absoluto, ad vitia, ex fonte laudato promanantia, progrediamur. Quae quam maxime inter se differe debere, demonstravi. Interim monendum adhuc est, minime in animo esse, omnia quae exinde derivari possint, mala pertractare, verum solummodo quae vere observamus, et partium, in quas potissimum vis illa agere solet, nec malorum pertractandorum singula et propria, quod opusculi brevitati nequaquam responderet, exponere. Qua causa et qua ratione ista efficiantur, coarctanda solummodo mihi videntur. Quoniam in morbis his pertractandis mea opinione nullius plane est momenti ordo exquisitus, et ego nul-

lum observans, organa pro lubitu eligam, eorumque affectiones morbosas, quae ex causa laudata oriuntur, examinabo. Organa sexus sequioris abdominalia, de quibus hic potissimum agetur, structura tenuiori et perfectiori exornata, permagna vasorum et sanguinis copia pollent, unde etiam inclinatio ad inflammationes et haemorrhagias repetenda videtur; cui praedispositioni causa externa, e. g. compressione illa adjecta, quam facillime inflammantur.

Peritonaeum, pars hic pertractandarum omnium maxime superficialis, si exceperis uterum, usus illius vulgaris incommoda ceteris prius graviusque experitur. Causa cur talibus potentiis nocivis, nimiae expansioni. et brevi post, constrictioni, non saepius etiam inflammetur, posita videtur in structura eius cellulosa, qua idoneum fit, ad extensionem illam perferrendam, in functione ejus minoris momenti et denique in eo, quod non solum perpaucis, verum et perparvis ornatnm sit vasis et nervis, Cuius inflammationis nihilominus tamen et hac et alia vi, e. g. thoracis usu, excitatae, exempla exstant. Illa maxime pertimescenda, cum comparuerit, nisi omni qua vi valemus, contra eam agamus, ob coniunctionem, quae ei est cum omnibus organis abdominis, brevi partes vicinas in consensum vocat et denique in febrem puerperalem, qua foemina plerumque extinguitur, terminatur. Quemadmodum etenim morbum in puerperio celerrime evanescere, ita quoqua eum ad summum fastigium ascendere observamus. Morbi historia, opusculo superaddita, dicta sufficienter comprobat. Breve per tempus illa con-

tinuata, puerperii functiones quasi invertuntur. Actuositatem a cute in se avertit, in multis ubera antea lacte turgescentia, brevi flaccidissima concidunt, lochiorum fluxus supprimitur, cutis, quae antea turgebat lenique madore diffundebatur, arescit jam atque collabitur, omniumque partium turgor in collapsum convertitur. Morbus nunc paracutam, nunc acutam magis indolem agnoscit, et brevius seriusve sub nova exacerbatione aegrotam vel convulsam vel apoplecticam extinguit. —

Primis post partum diebus naturae medicatricis molimina in centro requiem, eaque de causa alvi functionem excretoriam ad quartum usque diem deletam spectant, ut eo perfectius uteri sanatio et post nisum recreatio, actuositas peripherica lactisque ad ubera secretio effici possint. Qua quiete cum in longum producta, tum citius, quam par est, ea inter pellata, noxiam mulier experiatur, necessarium est; utraque via febrem exoriri videmus puerperalem. Obstructione alvina nimis continuata, nec intestino recto ob minorem sensibilitatem in stercus agente, in peripheria ejus sumtu actuositas magis magisque ad eum demum gradum augetur, ut totam corporis superficiem, uberibus antea lacte turgidis, collapsis, vesiculis, volae manus magnitudinem non raro adaequantibus, materieque lactea, sub formam seri floccidi, albescentis, repletis, obsitam et inflammatam inveniamus. Quod si vero intestina, pars imprimis superior sensibilior excrementis, et quantitate et qualitate peccantibus, irritata, plus minusve in ea agant, sive illa ejiciunt sat cito, sive ad contractionem ni-

miam provocata, in inflammationem ipsam abeunt. Utraque ratione functiones puerperii invertuntur, et uterque status plerumque, nisi tempestive occurramus, in febrem puerperalem terminatur. Persimili modo puerperam aegrotare videmus, cum maturius tubum intestinalem ad dejectionem stimulamus, sive sit clysmatibus repetitis, sive medicaminibus sumtis, quod die plerumque quarto prius, et tunc, casus quidem, si excipiantur, non nisi enematibus simplissimis, oleosis, effici, vetat natura. Incommoda, laudatis haud dissimilia, observantur; Joergio auctore saepius etenim potu Viennensi dicto, febris puerperalis exorta est. Ob plethoram dictam abdominalem nunc ventriculus et intestina ad inflammatinem inclinantur, nunc pro sanguinis indole venosa et chylo, quo abundanter gaudet, vasa ventriculi et intestinorum infarciuntur, quo fit, ut sensibilibus istorum tunicis distractis et irritatis, cardilgia haud raro horrenda, singultus, vomendi conatus, anxietates, tormina, spasmus, convulsiones ipsaque haematemesis excitentur. Eadem ratione saepius fortasse et ad haemorrhoides ansa praebetur. Ventriculi malis, quae systema vasorum potius spectant, pertractatis, monenda sunt systematis, quae a compressione exoriri possint, sensibilis, quo cardialgia, singultus, anorexia, nausea, vomitus, spasmus, convulsiones referri debent.

Renes, licet non exiguis vasis, a corde non adeo distantibus, quae permultum sanguinis ad illos perducunt, ornentur, si calculorum in eosdem effectus exceperis, rarius, quod hic denuo confirma-

tur, inflammatione corripiuntur. Interim et illos sanguine oppleri, et vi insuper externa admota, inflammari posse, plures auctores exemplis comprobant.

Quemadmodum uterus sub finem gestationis vel antea, causa aliqua nimis extensus, vel retentionem vel incontinentiam urinae inducit compressione, ita quoque partu absoluto, organisque abdominalibus in minus spatium per fascias coarctatis similia contingunt. Urinis vero diutius copia maiori detentis, et sibi ipsi et utero est irritamento, et ad cystitidem et ad uteri sanationis operis perturbationem, ansam praebet. Diuturna vero lotii commoratione, latice limpido resorpto, magis saturatur, et acri conditione deinde et inflammatio et pertinax urinarum retentio concitantur. Distentione vero abjecta, compressione et moto sanguinis impedito, ista quoque incenditur. Vasa denique vesicae perquam sensibilis eodem modo ac tubus intestinalis iisdem ex causis infarciuntur, nec non crudeles hic loci spasmos et dolores, illis, quos calculi excitant, haud sane inferiores, gignunt.

An ne ovarii inflammatio aeque ac illarum partium exinde proficisci possit? Saepissime certe post mortem sectiones ea omni modo degenerata, nunc indurata, nunc exulcerata, nunc tumida, nunc aqua ad sacci formam distenta, nunc omnis generis excrescentiis deformata, oculis exhibent, quae omnia ad inflammationem praegressam concludi sinunt. Quae cum plurima ex istis potissimum foeminis febre puerperali extinctis, observentur, et per se magna san-

guinis copia polleant, eo facilius a motu istius impedito ea derivare licet. —

Uterus inde a pubertatis tempore ad periodum usque climactericam, organon sexui sequiori omnium facile gravissimum, vitalitate et reproductivitate pollens quam maxima, mutationibus permagnis iisque valde variis, hocce temporis spatio subiicitur: qua re et illa agendi ratione non exigua percipit incommoda. Quoniam uterus non tam nervis, quam vasis potius excellit, illa quoque magis systemati vasorum quam sensibili inhaerent. Sanguinis circutatione per superficiem perturbata, in uterum, potissimum brevi post partum tumidum adhuc, nimia sanguinis copia congeritur, vasaque non minus extensa, opplentur, quo fit, ut tantum interdum cruoris ex utero ruat, ut nec statim illa remota, nec omnibus contra haemorrhagiam viribus intensis, pallor suspiria, respiratio difficilis, obnubilatio visus, syncope, extremitatum frigus, suffocatio, convulsio exinde sequantur, quod observatione Illustriss. de Siebold repetita, historia sub finem opusculi adiecta, haemorrhagiis, quas obstetricum usu non minus infelici, abdomen per manus comprimendi, ut foetus, vel illo jam excluso, placentae ejectionem uterique contractionem promoveant, effectas observamus, strophiorum vi denique in efficienda menstruatione profusa et dolente, sufficienter confirmatur. Sequuntur exinde mala innumera, pro jactura cruoris et corporis habitu plus minusve vehementia et nociva. Uteri aeque ac partium dictarum vasis oppletis, et cum statu ille normali abundanti jam gau-

deat sanguinis copia, primisque post partum diebus tanquam pars sauciata tractandus sit, eo facilius inflammatur.

Haud dissimili ratione fasciae in mulieribus praecipue fibra laxiori constructis, in gignendis varicibus, quibus mulier jam per se ob indolem venosam, et lactationis et graviditatis tempore sanguinis chylosam, quam maxime inclinatur, non parum contribuunt. Utero, praecipue parti, ostio proximae, vaginae, labiis pudendis per totam ad pedem extremum usque extremitatem continuatae, nunc funiformes, nunc et non nisi labiis vel exitui vaginae cumulatim ad uvae formam in crura dependentes, inhaerent, cuius rei exempla in Instit. Illustriss. de Siebold memaratu dignissima ipse obserravi. Incommoda plerumque non nisi graviditate et partu repetitis, conspicua evadunt, quibus ruptae, tantum cruoris emittunt, ut symptomata laudata, et mors per exinanitionem ipsam, facile contingere possint.

Quae motus sanguinis per organa abdominalia partibus remotis exhibet, in congestionibus vasorumque pectoris et capitis oppletionibus, vertigine, syncope etc. subsistere solent.

Morborum, qui in vasis conspiciuntur, capite finito, vitia quaedam mere mechanice inducta, uteri dislocationes, respicienda adhuc restant. Fundus uteri, protinus post partum plus minusve contracti, fasciis abdomen constringentibus, quo minus ad anteriora spectet, impeditus, ad posteriora, eo magis, quo minus tubus intestinalis et promontorium resistant, reprimitur, quibus diutius continuatis, liga-

menta magis etiam relaxantur, fundi ponderi obsequuntur, et reclinationem, ac denique retroversionem completam inducunt. Quo situ perverso uterus non intestina et vesicam solum irritat, variasque inducit molestias, verum etiam vice versa irritatus ipse, deinde haemorrhagiis repetitis et secretionibus praeternaturalibus vexatur. — Promontorio verum magis ad interiora prominente, tuboque intestinali hac illave ratione resistente, uterus non tam ad posteriora, quam potius ad pelvim profundius deprimitur, et prolapsus plus minusve completus provocatur, quem et in virginibus vestium arctiorum et thoracis usu inductum observamus. Brevi tempore et vaginae prolapsus et molestiae varii generis ei consociantur. Haec hactenus. Permulta licet exinde vitia alia derivari possint, empiria minus confirmata, et ex theoria difficilius derivanda, reiicienda hic mihi videntur.

Quemadmodum vero aliis saepissime, de quibus permultum disputatur, ita illis quoque veritas in mediis est. Iustis etenim cancellis fasciarum abdominalium usus circumscriptus, quibusdam et graviditatis et operis partus et puerperii casibus, non exiguae utilitatis esse potest. — Quae ex utili fascia abdominis requiri debent, versantur in eo, ut simplicissima hujus convexitati illius concavitas respondeat, ne pars parte gravius, sed omnes aequaliter retineantur, sive fabricata sit linteo, sive corio cervino, sive eo, quod Barchent audit; quod ut perficiatur, ubicunque illi adaptetur, necesse est. Quam Joergius commendat, opere d. m. m., ideae huic

omni respectu satisfacit, qua re etiam, cum fasciolas humeris circumferrendas, ut et fascia et abdomen in suspenso quasi retineantur, ei adiiciamus, maxime convenientem praedicaverim. Osiandri, illi haud dissimili, ob complicationem inutilem, et fibulas metallicas, quibus, quod Joergius fasciolis, efficere studet, et ob pressionem, quam illae promovent, illi longe postponenda est. Applicanda ceterum, nec, nisi necessitas maxime urget, ante diem puerperii octavum, est ita, ut mulier nec ullum exinde molestiam percipiat.

Graviditate uterum frequenter ultra modum extensum integumentaque abdominalia foras propulsa observamus ita, ut venter propendulus oriatur, qui, uti Joergius narrat, interdum supra arcum ossium pubis propendens, femori utrique insidet, ut genua fere tangat; cui statui molestissimo, cum partu necdum absoluto, omnino removeri non possit, optimum meliusque omni spirituosorum vel cujuslibet remedii alius frictione, fascia, quae abomen suffulcitur, levamen praebet. Emolumenta, quae ex ejus usu lucramur et in sublevandis doloribus et molestiis, in prohibenda ulteriori partium extenuatione, et eo, quod praedispositionem ad ventrem propendulum ex parte delemus, conspiciuntur. —

Qui secundum locum obtinet status, est ille, quo integumenta nec satis laxa, ut uteri extensioni sufficienter responderent, nec satis fortia ac densa, ut illi cum vigore resistere possent, vel in regione umbilicali, vel in linea alba, vi sua diffiduntur, ut uteri fundus plus minusve per fissuram progrediatur.

Quae hernia plerumque doloribus, quam vitii laudati longe vehementioribus, anxietate, vomitu et syncope ipsa conjunguntur, ejusque pericula eo celerius increscunt, quo major uteri pars prominet, quoniam hic ob incarcerationem, quam interdum patitur, ne abortus ipse efficiatur, iure timendum est. Repositione uteri rite peracto, et midicaminibus aptis in usum vocatis, abdomen praegnantis, quam diutius supinam cubare oportet, fascia idonea longum per tempus ligatur. Fissura ista licet quam optime connata videatur, recenti graviditate, nec ullo tamen tempore magis, quam partus opere ipso in methodo ista continuandum est, quoniam recrudescat ille, metuamus oportet.

Fit ventre propendulo porro, ut uteri ostium ad promontorium, fundus ad anteriora vertantur, et ineunte partu caput infantis ad illud propulsum, impediatur, quominus ad pelvim profundius descendat. Ne partium mollium contusio ossiumque cranii infantilis fissura efficiantur, vitio celeriter succurrendum; quanta sit etenim uteri vis, exempla duo in Instit. Tr. Lips. sub auspiciis Joergii observata, quo utero, arte nequaquam adiecta, capitis ossa per pelvim transeundo diffindebantur non uno, sed pluribus locis, sufficienter demonstrant. Quae cum ita sint, ut uterus directioni cavi pelvis respondeat, ut caput ad eam progredi possit, abdomini fascia circumferrenda est. Simile quoque per decubitum supinum effici, observatio repetita docuit; qui tamen ob ventrem propendulum nimium et parturientis huc illuc

sese jactantis inquietudinem interdum non ea, qua opus est, efficacia gaudet.

Quo aeque ac illis fasciarum usus exposcitur, immodica est et mulieri ominosa, nec remediis nec alio quodam modo compescenda uteri haemorrhagia, quo tempore mors et vita quasi inter se confunduntur. (Boer Abhandl. u. Versuche geb. Inhalts.) Ventrem, et uterum plumaceolis permagnis et styptico quodam pulvere conspersis, repletum, per fasciam vel mantele perlongum, abdomini circumductum trahendo in finibus sensim sensimque ad eum demum gradum comprimere iubet, quem sine molestia magna parturiens perferre possit; quo neglecto, nec ad tempus constrictione remissa, respiratio difficilis, syncopes et convulsionis periculum adaugetur. Quae methodus teste Boer, allatis rerum sub conditionibus optima et quam efficacissima observatur.

Illius adhabendae denique puerperii tempore occasio offertur, quo uterus et integumenta ob extenuationem inter graviditatem nimiam quasi paralytica conspiciuntur, et ob contractionem eo prohibitam, ventrem, quamvis minori gradu, propendulum efficere pergunt. Hic post applicatam fasciam frictiones ex mixtione aceti vini concentrati et spirituosi, quod Rum audit, quam maxime conveniunt. Quo non solum vigori amisso, verum et contractioni ipsi prospicitur ita, ut ipse et Joergius effectum ubicunque optimum inde observaverint. —

Historia febris puerperalis, quamquam imperfecta, dicta tamen exparte confirmans:

Johanna B — foemina annorum viginti quatuor, formae et structurae tenuioris, constitutionis erethicae, a teneris inde, morbos infantiles, quos felicissime superavit, si exceperis, nec unquam quid habuit, de quo conquereretur. Anno aetatis decimo quarto menstrua primum edebat, quae nec periodi, nec qualitatis nec quantitatis respectu habito, unquam peccabant. Septem annis post, primum concepit. Graviditas, partus opus et puerperium quam exoptatissima successerunt, et puerum, quem peperit laute nutritum beneque formatum sine ullo detrimento per novem menses lactavit. In matrimonium deinde ducta, iterum gravidam se esse persensit; graviditas et partus superioribus haud dissimiles fuere. Placenta facillime remota, ex consuetudine obstetrix per mantelia duo, ut longior fascia evaderet, consuta, abdominique circumducta, ventrem constrinxit ita, ut illis remotis, constrictionis vestigia adhuc cuti inhaererent. Quo facto, infantis cura necessaria gesta, et puerpera bene valente, abiit. Sex horis elapsis, puerpera de capitis dolore obtuso, de obnubilatione, oculorum caligine et vertigine lenioribus, ad uterum de ingrata caloris et tensionis sensatione, conquesta est, quae brevi post in fluxum lochiorum cruentum copiosum abiit. Capitis molestiae per noctem continuabantur, fluxus sanguineus, sensim sensimque diminutus, disparuit, nec nisi copia minor seri turbidi profluxit. Matutino tempore vero alia in conspectum venere symptomata. Puerpera horrorem satis fortem, cui calor sat vehemens et deinde dolor ad regionem mesogastricam dextram fixus et ardens

succedebant, accusavit. Quae omnia cum obstetrici advenienti relata essent, affectiones illas ex alvo obstructa, quam per clysmata ductura esset, has vero ex doloribus, partum insequentibus, repetens, officio peracto, domum rediit. Quemadmodum febris paroxymus disparuit, non nisi ut alteri locum concederet fortiori, dolores quavis hora increscunt. Ardentissimus vero jam dolor totum ventrem occupat, sub attactu, in inspiratione, tussi et erectione, maxime adauctus. Accedunt cephalalgia gravis, lassitudo, inquietudo, sitis vehemens, anorexia, lochiorum fluxus suppressus; genitalia urent ac tument. Obstetrix vespertino tempore rediens, hunc statum observans, medicum arcessit. Qui ubi advenit, et abdomen, per mantele satis firmiter constrictum, illoque remoto, id rubicundum, maxime dolens, dolores pristinos graviores, nauseam, vomitum, febrem fortem, cutem aridam, urentem, animam fervidam, faciem collapsam, pulsum frequentem et contractum, lactis secretionem ex parte deletam, uberibus necdum collapsis, urinas perpaucas, turbidas, iumentosas, bruneas, observat, et peritonitidem, fortasse quoque enteritidem ineuntem, cum nulla alia causa inveniri possit, ex coarctatione repetendas, cognoscit, statim venaesectionem Unc. VIII. institui, abdomini hirudines VIII. applicari et in uterum iniectiones infusi cicutae fieri iussit, quae interim ob nimiam irritationem instrumenti mox reiiciuntur. Reiiciente illa, quaecunque sumserit, emulsionem mere papaverinam propinavit; ob alvum adstrictam clysmata symplicia applicabantur. Ut impediret, quo minus metastasis lactea locum in-

veniret, actuositatem cutis et mammarum integumentis calidis promovere studuit. In frictiones liniment. ralatil. c. opii portione remixti, ob dolorum exacerbationem, omni vi recalcitravit. Per noctem status melior, mitior, licet quodcunque sumserit, rejiceret, qui ad meridiem usque continuatus est. Jam vero omnia quam maxime exacerbantur, doloresque et molestiae ad summum usque gradum increscunt. Medicus venaesectionem et hirudinum applicationem repetit; in emulsionis usu, quam solummodo retinuit, persistere et abdomini deinde sinapismum imponi, ordinavit. Ad vesperam usque status idem, quo tempore vero omnia denuo recrudescebant. Symptomatibus jam longe gravioribus accedunt deinde faciei, uberum, totius corporis collapsus, oculi turbidi, qui objecto cuidam adfixi inhaerent, vox rauca, oris cavi siccitas, lingua sicca, muco bruneo obtecta, fissa, tremula, subsultus tendinum, tremor antuum, huc illuc iactatio, deliria et mitiora et furibunda, alvi fluxus immodicus, et urinarum multarum turbidarum emissio involuntariae, pulsus exiles, inordinati, cutis siccitas pergamena in sudores viscidos et exanthema miliare conversa. Cum emulsionem tantum retineret, medicus jam eam camphoratam propinavit, quam vero recusavit et respuit; simili effectu et alia tentata. Ad abdomen jam valde turgidum, quasi hydropicum accusavit dolores lancinantes, punctorios et caloris sensationem, quae omnia tamen brevi disparuere. Insensibilitate demum singultui, auribus abtusis, deliriis taciturnis, respirationi suspiriosae, floccilegio, convulsionibus repetitis, consociata, nocte fatis cessit.

Quae post mortem sectio oculis exhibuit, versabantur in abdominis, maxime turgescentis, fluidi ex albo flavescentis, turbidi, floccidi, repletione, intestinis, ventriculo, vesica, utero, quae plus minusve inflammationis et gangraenae vestigia prodebant, aliisque partibus simili materia agglutinatis, peritonaeo rubicundo livescenti, utero minus contracto, relaxato, maculis lividis obsesso. Ovaria fuere tumida, laxa et decolora; tubae haud inferiorem indolem, capitis vero et pectoris cavum ne minimum quidem nisi partium relaxationem, morbosi obtulerunt. —

THESES DEFENDENDÆ.

I. In puerperio normali alvus ad quartum usque diem adstricta sit, necessarium est.

II. In puerperis purgantia, unum si exceperis locum, semper reiicienda sunt.

III. Nulla, nisi secundum virtutes, medicamentorum divisio, utilitatis est.

IV. Quodcunque medicamentum nervinum, excepto modo mechanico.

V. Medicamentum medicamento substitui non potest. —

VITAE CURRICULUM
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
BEROLINENSIS
ADJECTUM.

Natus sum anno seculi superioris XCVI Prettinae, oppidi Saxoniae, patre Theodoro Herrmann, pastore, et matre Carolina, e gente Thilia. Anno aetatis decimo scholis privatis praeceptoris tertii scholae Wurzenensis traditus fui, qui primis et religionis et literarum elementis me imbuit. Anno MDCCCIX civibus Gymnasii, quod Torgaviae floret, adscriptus, institutionibus praeceptorum doctissimorum per sex annos interfui. Quo tempore elapso, anno MDCCCXV Lipsiam me contuli ibique Beckio Rectore t. t. Magnifico civium academicorum albo adscriptus, audivi Philisophos: Platner Wendt Heinroth Medicos de Anatomia: Rosenmüller, de Botanice: Schwaegrichen, de Physiologia: Platner, Joerg, de Physice et Chemia: Gilbert et Eschenbach, de Pharmacia: Eschenbach, de Pathologia: Platner et Puchelt, de Materia medica: Ludwig, Knoblauch, de Therapia et Pathologia spec: Haase, de Chirurgia: Kuhl, de arte ob-

stetricia: Joerg, de morbis oculorum: Platner. Ut curandorum aegrotorum copiam mihi facerem, institutum policlinicum, quod Puchelt moderatur, adgressus sum, et Clari exercitationibus medico-practicis, chirurgicis vero Kuhlii et Kohlruschii, et artis obstetriciae practicis in instituto Trieriano Joergii; nec non scholis Hahemanni interfui.

Sub autumnum anno XVIII Berolinum adii, ubi per semestre hibernum scholis policlinicis Perillustr. Hufeland, institutionibus medico practicis in nasocomio caritatis Illustr. Horn, praelectionibus de Akiurgia Illust. Graefe interfui, nec non usus sum Illustr. de Siebold in arte obstetricia tam theoretica quam practica: per semestre vero aestivum scholas clinicas Illustr. Berends et chirurgico-practicas Illustr. Graefe frequentavi.

Tentamine et examine rigoroso peractis, spero, fore, ut dissertatione rite defensa, doctoris Medicinae et Chirurgiae honores adipscar.